

STATVTVM DE
poena portantis arma.




155
547



Luca. 1561.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА

De poena portantium Arma.



Tantum possumus auferamus materiam delinquendi statuimus quod nulla persona cuiusvis gradus, ordinis, dignitatis, aut conditionis existat, portare aut deferre audeat aliqua arma offendibilia aut defendibilia, sub poenis infra declaratis videlicet.

Si quis ciuis Lucensis per ciuitatem Lucensem deferat Lanceam, Spuntonem, Alabardam, Partigianonem, Furcam ferream, Accettam vel Securim, Massam ferream, vel plumbatam, vel aliquod aliud simile genus armorum, quae de sui natura deferri consueuere sine vagina, vel nuda. Item sclopettum vel archibusum, cum fulcimentis aptis ad proiciendum pilam vel sagittam, puniatur in libris quadraginta bonae monetae pro quolibet petio dictorum armorum & qualibet vice.

Si vero fuerit foretanus vel forensis qui per ciuitatem Lucensem deferret arma praefata, puniatur pro quolibet petio & qualibet vice in libris sexaginta, & si foretanus vel forensis deferat dicta arma in aliqua terra murata Lucensis Territorii, vel in terra ubi Vicarius residentiam facit cum sua curia, vel in aliquo foro aut mercato Lucens. districtus, puniatur pro quolibet petio & qualibet vice in libris quadraginta: Et si in aliis locis praeter praedicta dicta arma deferret puniatur in libris viginti pro quolibet petio & qualibet vice.

Quicumque vero qui cum armis praefatis percusserit aut vulnerauerit vel alio quo uis modo offenderit aliquem, siue sanguis exierit, siue non, puniatur in duplum poenae qua pro huiusmodi offensione puniedus veniret secundum formam statutorum in suo casu (etiam si fuerint ciues qui per comitatum deferre possunt impune arma praedicta) & auctoritas data Mag. Dom. Antianis & Spect. Officio super introitibus liberandi condemnatos, (etiam quod decretum auctoritatis generaliter loqueretur) non se extendat ad casus vulnerum seu percussionum factarum cum armis praedictis.

Et quoniam sunt quaedam instrumenta ferrea quibus ex necessitate rustici in suis operibus utuntur, veluti vanghe, vanghetti, Marrones, Ligones, Roncholette, Pennati, Secures, securetti, & similia, sancimus quod si aliquis cum aliquo ex praedictis in

A ii

duplum poenae

*duplicatum poenae
si fuerit factum
capite cum
sanguine
non est quod dic
mus quod legitime
armis et non
indistinctis
stios*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. ПАВЛА

*caus. p. m. d. et
delictis et transgress
die. d. 2. April
1563*

*caus. p. m. d. d. m. m. s.
D. g. m. s. m. p.*

strumentis vulneraverit aliquam personam in capite cum sanguine incidat in eandem poenam ac si aliquem vulnerasset cum aliquo ex predictis armis vt supra declaratis, que sine vagina deferuntur.

Intelligatur etiam & sit prohibitum omnibus & singulis cuiusvis status gradus dignitatis aut conditionis existant, habere aut tenere apud se vel in aliquo alio loco tam ciuitatis quam totius territorii & districtus, aliquem balestrinum totum ex ferro siue aliquo alio metallo fabricatum, qui sit minoris longitudinis brachii vnus, aut aliquem archibusum ad rotam nisi eius fistula siue canna sola sit longitudinis ad minus brachii vnus cu dimidio, sub poena scutorum trecentoru auri, & banni exilii perpetui a ciuitate & territorio Lucensi pro quolibet & qualibet vice, qua poena pecuniaria diuidi debeat pro tertia parte accusatori (cuius nomen teneatur secretum) & pro alia executori (Qui tamen non possit esse accusator) & pro alia tertia Lucensi comuni, & quilibet qui cum balestrino & archibusum sic vt supra prohibito aliquem vulneraret (etiam quod mors non sequatur) incidat in poenam capitis ita quod moriatur, & confiscationis omnium eius bonorum camere Lucensis comunis, & si delinquens captus fuerit, dicta poena capitis ita quod moriatur contra eum exequatur ac si esse descriptus in archiuio publico pro bannito in dictam poenam a Magnifico Consilio generali, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus.

Verum si quis Lucensis ^{cuius} deferat per ciuitatem Lucensem gladium, siue ensen ferreum, scimitarram, pugionem, stochum, cultellum cum cuspidem cuiuscunque ponderis siue mensure seu sine cuspidem, qui sit maioris longitudinis cum ansa siue manico & ferro vnus tertii brachii, & maioris pondens vnus vncie cum dimidia & qui in summitate ferri non sit quadratus vel rotundus cum costa & tante latitudinis quante sit latior pars gladii siue cultelli, vel aliud simile genus armorum quod sui natura consuetum est portari cum vagina. Item si quis portauerit puntarolum (exceptis illis qui dictum pontarolum portant ex necessitate sui exercitii, sed de die tantum) fuste seu bastonem acutum preustum in summitate & qui praesumeretur fabricatus & factus ad offendendum arbitrio iudicantis, puniatur qualibet vice & pro quolibet petio dictorum armorum in libris viginti. Si quis vero foretanus vel forensis predicta arma deferat per ciuitatem Lucensem puniatur in libris quadraginta, sed si ea deferat in aliqua terra murata seu in aliquo foro vel

*caus. p. m. d. d. m. m. s.
die. d. 2. April
1563*

*caus. p. m. d. d. m. m. s.
die. d. 2. April
1563*

*caus. p. m. d. d. m. m. s.
die. d. 2. April
1563*

vel mercato Lucensis districtus, aut in aliqua terra vbi Vicarius cum sua curia residentiam facit, puniatur in libris triginta pro quolibet petio & si per alia loca extra praedicta, puniatur in libris quidecim & dicta poena puniantur illi qui noctis tempore aut diebus festiuis deferrent roncolettam, vangam, securim, penatum, & similia quae ad vsum ville sunt necessaria.

*caus. p. m. d. d. m. m. s.
die. d. 2. April
1563*

Item omnia instrumenta ferrea quoruncunque artificum Lucensis ciuitatis, & in ea habitantium, intelligantur, & sint prohibita post pulsationem campane Palatii de fero post horas viginti quatuor immediate pulsatas, itaque quicumque inuentus fuerit cum aliquo instrumentorum praefatorum, incidat & puniatur in poenis decretis contra portantes arma cum vagina, exceptis tamen illis ministris, & artificibus qui in casu ignis tenentur currere ad extinguendum ignem, & exceptis chirurcis qui cum eorum instrumentis & ferris irent pro medendo, & exercendo eorum officium.

Disponimus etiam quod nemo audeat vel presumat per ciuitatem Lucensem eiusque comitatum, & districtum, de die vel de nocte deferre aliqua arma de sui natura principaliter fabricata adiacendum, & ad feriendum, neque vllas palloctas ferreas, plumbeas, lapideas vel alterius generis aptas ad proiciendum sub pena librarum centum. Ultra quam poenam debeat detineri in carceribus mensibus duobus nec ex ipsis eximio modo aliquo aut relaxari possit etiam dictis duobus mensibus transactis nisi prius soluta praefata poena pecuniaria: Et praedicta poena puniatur quicumque in ciuitate Lucensi de nocte deferat balistam, arcum, fundam, massa frustum, & omnia alia similia instrumenta inuenta & apta ad offendendum & feriendum.

Et quoniam multi qui capiuntur cum armis se excusare conantur a poena, allegando rus petere, & in villam ire, seu ex ea redire in ciuitatem, ne dicta excusatio malitiose adducatur, & delinquentes a poena releuet, statuimus quod excusatio praefata non valeat nec possit admitti, nisi ille qui captus fuisset non fuerit repertus cum armis manifestis ita quod clare & manifeste appareant & videri possint, & si fuerint arma sine hastis debeant ad minus esse longitudinis brachii vnus cum dimidio cum manico, & excusatio praedicta non possit allegari nec admitti nec super ea cognosci, nisi per Magn. Dom. Antianos & Spectabile officium conductorum ad partitum distinctum, quos Magn. Domin. Antianos, & conducterios considerare cupimus quod reddendo se faciles in excusationibus praefatis, nec publice nec

*und delictu dicitur
manu 1560, 18. d.
nudi 1561, 17. d.
1562*

private consulent utilitati, & viam fraudibus aperient.
Disponimus etiā q̄ quicūq; accusauerit aliquē siue aliquos qui
arma portauerint cōtra prohibitionē presentis statuti; si fuerit
socius criminis lucretur impunitatem delicti, si vero nō fuerit
socius criminis lucretur quartam partem condemnationis pecu-
nariarie imponende delinquentibus ex dicta accusatione, &
eius nomen teneatur secretum, quā quarta pars solui debeat ac-
cusatori sequuta accusatione cum iuramento ipsius, & vnus tē-
stis, qua accusatione facta & verificata statim accusatus transmi-
ti debeat pro cōdemnato in panis supra in suo casu impositis
ad archiuum publicum siue ad exactores.

Insuper prohibemus quod nulli liceat deferre infra scripta
arma defendibilia per ciuitatē Lucen. videlicet corazā siue pan-
cieram, corfalettum, ghiacchum seu camisiam de maglis fer-
reis, aut alterius metalli, cerbelleriam, cappellum ferreum, vel
elmettum, seu alia arma prædictis similia, & si quis contrafe-
cerit puniatur, pro qualibet vice & quolibet petio, in libris quin-
que: si quis vero portauerit rotellam, siue targonem puniatur
in libris tribus, & si portauerit pauesem vel scutū, puniatur in li-
bris quatuor, si vero portauerit guantos ferreos, siue broccole-
rium aut braccialia siue manicas ferreas, puniatur in libris dua-
bus pro quolibet petio & qualibet vice.

Et si in aliqua terra murata, vel in aliquo foro siue mercato
Lucensis districtus, vel in aliqua terra vbi Vicarius resideret
prædicta arma portauerit puniatur in dimidia dictarum pœna-
rum in suo casu; si quis vero foretanus, vel forensis dicta arma
per territorium Lucen. alibi quam in locis supra proxime dictis
dicta arma deferret puniatur in quarta parte duntaxat pœnarū
supra in suo casu declaratarum.

Declarantes vltius quod quicūq; cuius uis cōditionis, gra-
dus, aut dignitatis existat qui post secundā horā noctis fuerit in-
uentus & captus cum armis tā offendibilibus, quā defendibili-
bus siue in ciuitate, siue in territorio, vltra omnes pœnas supra
expressas & declaratas si die sequenti hora tertiarū nō soluerit
ducatos decem auri Lucensi comuni debeat habere duos ictus
funis, de brachiis octo ab alto adimum pro quolibet ictu, ab ho-
ra tertiarum vsque ad horam nonam ad fānestras palatii Domi-
ni pratoris, si fuerit ciuis per dominum prætorem, si autem fue-
rit foretanus vel forensis per capitaneum siue barigellum, siue
ab ipsorum familiis respectiue, & tam præfatus D. prator, seu
eius miles socius, quam dictus capitaneus, & barigellus sint iu-
dices competentes quo ad executionem pœne prædictæ reman-
nente

*pœna foretanus
arma d. nocte*

*commissarij et iu-
dices capitaneus
sup. delatione
inman*

nente firma auctoritate Dominorum exactorum circa cognitio-
nem causarum huiusmodi delinquentium, vt per eorum statuta
disponitur, & cōmissarii, & vicarii & potestates in eorum iurisdic-
tione respectiue sint iudices competentes tam quo ad cogni-
tionem, quam executionem præfatam.

*curia cognitiō
causarum*

Et omnes pœne pecuniariæ supradictæ in suo casu, & carcerū
(excepta tamen pœna supradictorum duca. decē) duplicentur &
duplicari debeant ei qui de nocte arma portauerit, & vltius
omnes qui cum armis inuenti, & capti fuerint vltra pœnas præ-
dictas, si capti fuerint de die stare debeant in carceribus noui
saxi diebus viginti & si capti fuerint de nocte diebus quadra-
ginta.

Et omnes pœne pecuniarie armorum offendibilium cuius-
cumque generis sint, solui debeant in pœcunia numerata nec sit
locus compensationi, & de præfatis pœnis exactis dimidia spe-
ctet ad capientem, & altera dimidia Lucen. comuni & pœne
prædictæ exigi debeant de facto & absque aliquo processu vel
scriptura, nec sit necesse quod de delicto constet per acta.

*pœna armorum dicitur
capti d. altera
dim. lucen. com.*

*non i. pœcunia q̄
d. delicto con-
stat p. acta*

Et quilibet qui cum armis fuerit captus, vltra pœnas præfatas
ammittat omnia arma quæ secum haberet, & quilibet officialis
tam ciuitatis quam districtus, qui aliquem cum armis ceperit de-
beat ipsum detinere in carceribus donec effectualiter pœnam
soluerit, & teneatur etiam nomen sic inuenti & capti ac etiam
inuenti sine lumine sequenti die de mane mittere in scriptis
exactoribus Lucen. comunis, qui teneatur dicta nomina ipsis
notificata describere in libro propterea ordinato; & teneatur
etiā quilibet officialis vt supra, intra duos dies adie capture pre-
sentare in curia exactorum quecumq; arma quæ inuenerint de-
linquentibus, sub pœna scutor. 50. pro quolibet & qualibet vice
quæ arma intelligantur & sint confiscata, & vendi debeant per
exactores ad utilitatem Lucen. comunis plus offerenti.

*ad hunc modum dicitur
in p. actibus
L. D. 66*

Et intelligatur portasse arma & esse inuentum cum armis
tam ille qui dicta arma haberet, quam ille penes quem arma fue-
rint reperta & inuenta in terra, vel in alio loco propinquo ipsi
qui dicta arma diceretur portasse.

*arma dicitur
dicitur dicitur
tunc exactor
quod dicitur*

Et de delatione armorum credi debeat duobus famulis præ-
fatorum officialium & executorum, medio eorum iuramento
se sic inuenisse dicentium.

*modum dicitur
tunc famulis*

Et licitum sit tam Barigello quam militi socio ac omnibus
executoribus quorūcumque officialium ciuitatis & territorii
Lucen. in eorum iurisdictionibus respectiue, omnes illos qui re-

TRAYKOBABA

sisterent & non permetterent se inquiri & resistentiam facerent ne caperentur, impune offendere in personam, ac rebus quas secum haberent vsque ad mortem inclusive, assistendo tamen in ciuitate si sit de nocte Barigello, vno extargettinis Magnificorum Dominorum Antianorum cum ipso mittendo singula nocte, & militi socio, vno alio prouisionato vt consuetum est sine quibus targettino, & prouisionato non possint prefati Barigellus & miles socius, nec eorum familie facere executionem aliquam transacta hora secunda noctis sub pena scutorum centum pro qualibet vice.

Et in supradictis prohibitionibus armorum (extra ciuitatem tamen) non comprehendantur ciues Lucen. siue eorum famuli. Quibus licentiam concedimus portandi per comitatum que libet arma, exceptis tamen archibusis ad rotam, & balestrinis, de quibus dictum est supra.

Comitatiuis & districtualibus habitantibus in ciuitate Lucen. non liceat deferre arma cuiuscumque sint generis, etiam per comitatum, donec adepti fuerint ciuitatem, prout disponitur ex forma statutorum & decretorum de materia loquentium sub penis supra in suo casu dispositis.

Quibus tamen comitatiuis ac etiam foretanis, & forensibus licentiam concedimus deferendi impune qualibet arma defensiva, & offensiva, eo tempore quo actualiter irent extra Lucen. territorium, vel de extra territorium redirent, per Lucensem territorium, de quo stetur discretioni iudicis procedentis negotii qualitate pensata.

*comitatiuis habet
tantis hinc pos
sunt ferre arma
eundo et redi
unt*

Concedimus etiam licentiam unicuique foretano & forensi equestribus, venientibus de extra districtum Lucensem, ad ciuitatem Lucensem vel ad ipsius territorium, vel venientibus de districtu Lucen. ad ipsam ciuitatem vel districtum; & a dictis locis discedendo, per ipsum districtum; & per ipsam ciuitatem, & per loca murata vsque ad hospitium, & ab ipso hospitio discedendo & redeundo, portandi impune spatam siue ensam, & quelibet arma que cum vagina deferri consueuerunt.

Quibus forensibus de extra territorium venientibus & per Lucen. territorium recta via transeuntibus, concedimus facultatem deferendi impune extra loca murata quecumque arma offensiva & defensiva dum sunt in itinere, per stratas & vias publicas.

Declarantes vterius quod nulla persona cuiusuis conditionis existat, audeat aliquo modo ascendere scalas palatii tam noui quam veteris, Magnifi. DD. Antianorum Lucensis ciuitatis,
cum

cum armis vt supra prohibitis, sub pena (vltra suprascriptas) librarum viginti quinque in quibus contrafaciens condemnatur de facto per maiorem exactorem, & predicta non referantur ad Antianos & ipsorum familiam. Nec ad forenses, qui a Magn. DD. Antianis licentiam habuissent deferendi arma per ciuitatem, & dictas scalas cum armis ascendendi, de qua licentia apparere debeat per scripturam de mandato prefatorum Dominorum Antianorum factam, Nec etiam referantur ad alios in specie priuilegiatos.

Ac etiam predicta omnia que de delatione armorum & earum prohibitionem supra disposita sunt, non comprehendant nec extendantur ad illos, qui traxerint ad pulsationem campanarum ad sturimum pro prosequendis bannitis & malefactoribus, Nec ad aliquem de Antianis Lucen. ciuitatis vel ipsorum familia, Nec ad officiales Lucen. comunis qui debent tenere familiam, Nec ad stipendiarios, nec ad nuncios Lucen. ciuitatis, Qui Antiani & ipsorum familia palatii, & officiales siue sint ciues siue forenses, & eorum familie quas ex forma statutorum tenere debent, & stipendiarii, impune deferre possint arma de die & de nocte & vbique.

Non referantur etiam ad districtuales, comitatiuos, vel ciues Lucenses, qui essent deputati ad custodiam murorum & turronum ciuitatis Lucen. vel ad custodiam roccharum alicuius fortilitii eius districtus, Neque ad mostras nocturnas, quibus licitum sit tempore dicte custodie & eundo ad eas recta via, & ab eis redeundo domum, quelibet arma impune portare, & reperi extra dictam viam non excusentur a pena sed puniantur vt supra dispositum est.

Nec referantur pariter ad deputatos ad custodiam portarum Lucen. ciuitatis nec ad ipsarum commissarios, quibus licitum sit portare arma impune eo modo loco & tempore prout disponitur per decreta super ipsis particulariter edita & non aliter, Nec ad bombardarios qui possint portare eorum instrumenta prout per eorum capitula disponitur, Nec ad eos qui deputati essent ad extinguendum ignem, de die siue de nocte in ciuitate Lucen. quibus licitum sit currere ad talem ignem cum armis impune, Nec ad illos comitatiuos qui in festiuitate sancte Crucis sunt deputati ad custodiam ecclesie, quibus licitum sit tempore custodie & in actu ad ipsam veniendi, & redeundi, impune arma portare.

Et si contingeret aliquem forenssem, vel peregrinum, in ciuitate Lucen. vel eius territorio non habitantem, siue aliquem de

Vicariis Lucen. districtus, Aut aliquem dominum, ambasiato-
 rem, Aut oratorem, Aut magnatem exterum siue aliquem de fa-
 milia cuiuslibet eorum (de die tamen) deferre arma prohibi-
 ta per ciuitatem aut territorium Lucen, Ac etiam quando con-
 tingeret ciues vel comitatus vel incolas vocatos & deputa-
 tos ad custodiam ciuitatis, aut portarū, aut alicuius loci, ordina-
 rie vel extraordinarie, & prout consuevit fieri in festo sancte
 Crucis vel aliis suspectis temporibus portare arma, possint
 Magnifici Domini Antiani vna cum Spect. conducteris omnes
 præfatos & quemlibet eorum excusare, & excusari mandare
 omnibus officialibus, & si iam condemnati essent liberare & ab-
 soluere, considerata conditione personarum locorum & tem-
 poris.

Et omnes pæne pecuniarie prædicte intelligantur esse &
 sint de bona moneta non obstante contrarie-
 tate quacunque.

FINIS.

Bonauentura Barilius.

*Provisio contra no subditos portantes arma 10. C. 1563
 prohibito portandi arma famulis cum p. Justa
 1567 171
 prohibito generalis portandi arma non absconditi
 quoniam privilegio aut dignitate, 1568 172*



ОТЧУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА